DE ANGELO & HOMINE

PROVT ELEVATVS EST AD BEATITVDINEM

Supernaturalem per Actus Propriæ

CONSCIENTIÆ

Tum Virtutum MORALIUM atque THEOLOGICARVM

OBTINENDAM.

DECISIONES THEOLOGICÆ

Propugnatæ publicè à Pr. GELASIO KĘŚINSKI *Augustiniano Sac. Theolog. Auditore*


Sub Asistentia Patris LAVRENTII CZEPANSKI

Sac. Theolog: Ordinarij Professoris.

Anno Dñi 1685. Mense Nouembri die

VARSAVIÆ

In Cænobio Augustiniano.



In Cœnobio Augustiniano.

ILLUSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. FRANCISCO ANDRAULT

COMITI de BUY
&
LANGERON

Exercitûs Germanici Excubiarum
PRÆFECTO GENERALI
Dirsauiensi CAPITANEO

Domino ac Patrono Colendissimo.

De Angelo & Homine Decisiones Theologicas cùm editurus essem, non fuit mihi diu ambiguâ deliberatione cunctandum, cui potissimùm eas consecrandas iudicarem. ILLUSTRISSIME DOMINE. *Tibi enim*

)(

meritò

meritò debebantur, cuius animi beneuolentiam immò naturæ quandam propensionem, in Religionem meam diu conspexi: quodsi decisionum harum nuncupatione ratio habenda fuit, qui posset & vellet illas Patrocinio defendere, atque splendore animi illustrâre; hoc etiam nomine Dignitas & Amplitudo Tua, primum sibi vendicarunt locum; quid enim in aliis dignum, quod in Te vno non effulgeat? Incredibilem Comitatem Tuam obseruant omnes, concelebrant Pietatem, admirantur excelsam animi Magnanimitatem: idipsum à Maioribus Domûs Tuæ accepisti, qui in publica commoda Christianissimæ Patriæ, semper conferebant consilij, animiq; vires. Præiuit exemplo ANDRAVLTIORVM *Sanguinis Illustrissimus, cuius hodie etiam, magnalia loquuntur vindices temporum Historiæ. Primum lego* LAVRENTIVM ANDRAVLT *Supremum Ducem exercitus* Borbonici, *initauit hic honorem Domûs Tuæ, secuturis ad imitationem ætatibus, inuictissimi animi dans exemplum, qui inuicti roboris virtute, non laureas tantùm, ex exercituum cladibus, sed* Lilia *Domûs* Borbonicæ *ad coronandas gentilitias stellas promeruit. Sago Togaq; clarus* PETRVS ANDRAVLT *ab* Henrico III *Galliarum Rege, plurimis accumulatus encomijs, cùm iuventutem, virilemq; ætatem, præclaris in Martis acie, contra Fidei, Patriæq; hostes, facinoribus decorasset, eâdem in-*

victâ

victâ animi fortitudine, quâ belli tractabat negotia, pacis ac unionis moderabatur momenta. Non commemoro sexcentos alios, diversis temporibus, Provinciarum Gubernatores validos Hectores, Supremos exercituum Duces invictos Scipiones, quibus agere aut pati, perinde erat cum Romanis, dum Ecclesiæ, Fidei, Patriæq; aut propugnandæ, aut exornandæ necessitas, aut iustitiæ vindicandæ zelus exigebat. Sub Pontificatûs quoq; Infulis & Purpuris, Tuam Illustrissimam consedisse Domum, ille dubitabit, qui Comitum ANDRAVLTIORVM de BUY congenerem Familiam ignorat. Numerarem lubens Domûs Tuæ Purpuratos Præsules, sed numerus eorum numerus stellarum est, qui cælo non folio comprehendi potest: Solem tamen in ijs demonstrare non est arduum. Solis instar fulgebat Anno Christi 1500. GUILELMUS ANDRAVLT S. R. E. Cardinalis, fidei ac Religionis tenendæ, tuendæq; zelosissimus, honores suos absolutissimis consecravit coronavitq; virtutibus. Vivunt in Te ILLVSTRISSIME DOMINE Antenatorum Tuorum decora; nec segniùs illa Dexteritate, Prudentiâ, non minùs quàm Fortitudine roborasti, decori Domûs Tuæ rebus præclare gestis splendorem adauxisti, non otiosus virtutis promouendæ Heres. Suspexit Serenissimus Poloniarum REX IOANNES CASIMIRVS Tuam in summis negotijs Dexteritatem, in agendis Prudentiam, in Te

maxime

maximè charus MARESCHALCUM *suæ Curiæ in exteris esse voluit, scirpumq́ue Regium Gentilitio Stemmati Tuo adaptavit. Ad omnia summa natum vidit Polonus Orbis, non ad funesta solùm bellorum excidia, sed ad Ecclesiæ, Patriæq́ue salutem ac defensionem, Te supremum exercitûs Germanici* Generalem *constituit, quantùm in munere Tuo specimen edideris, hostis profligatus sensit, & liberata nostra Patria testatur. Eo deniq́ue ob res bello, paceq́ue gestas processisti in Procerum ac populorum amoribus, ut omnibus gratus, in omnium oculis, animisq́ue verseris, nemoq́ue sit, qui Te Civem optimum non extollat, non maximâ observantiâ colat, non deniq́ue omnia summa Tibi deberi arbitretur: eloquitur id* Lechica Aquila, *quàm Universo omnium Ordinum Regni consensu, nemine reclamante, Stellis Gentilitijs Tuis annecti meruisti. Ad Te ergo* ILLUSTRISSIME DOMINE *Theologia mea, non tam laudatura, quam adoratura accedit: eam quæso cum laboribus meis Tuo iam oblatis obsequio, animi quoq́ue propensionem, fove pectore, fovè sinu: Interim Reipublicæ nostræ, communi bono, Orbis gloriæ, Tuæq́ue Familiæ vive; Vale, Perenna. Ita cum omnibus Augustinianis voveo & oro.*

ILLUSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TUÆ

Devotissimus Cliens

Fr. LAURENTIUS CZEPANSKI Augustinianus
Sac. Theol. Lector

THEO-

THEOLOGICÆ DECISIONES.
DE ANGELIS.
Deciditur 1mo.
De Substantia & perfectione Angelorum.

FIdei veritas est defacto existere Substantias Angelicas completas, quantitatiuè inextensas, prima Dei Creatoris signacula. Quilibet eorum à sua propria entitate habet, non solum specie sed etiam numero differre à quolibet alio Angelo. Spectatis naturis rerum, ex natura sua sunt incorruptibiles. In perfectione excedunt omnem creaturam rationalem ratione Beatitudinis naturalis, in qua conditi erant. Quamuis certum sit, potuisse primam Sanctitatem dari Angelis independenter ab omni merito & esse principium bonæ operationis, in primo instanti elicitæ, probabilius tamen defenditur, illam non fuisse datam, nisi dependenter à propria ipsorum dispositione. Quod etiam prius promeruerint beatitudinem, quam illam obtinuerint, constat ex S. P. August. lib. *de Correptione & gratia cap. 10. Angeli perseuerando &c.*

Deciditur 2do.
De Intellectu, Loco, & Motu Angelorum.

ANgeli cum sint præditi perfectâ immaterialitate quæ est radix virtutis cognoscitiuæ, perfectiori quàm homines

dent intellectu. Cognoſcunt per ſpecies vniuerſales, & quantò Angelus fuerit ſuperior tantò eius ſpecies eſt vniuerſalior, magis enim accedit ad ſimilitudinem Dei in intelligendo. Non accipiunt Species ab obiectis, ſed in principio ſuæ creationis à Deo infuſas retinent omnium naturalium, ſunt enim perfecti in vijs ſuis à die conditionis ſuæ, & in Sapientia decurſu temporis proficere non poſſunt ſecundùm S. August. *2do de Gene. ad lit. cap. 8.* proficerent autem ſi nouas ſpecies ab obiectis accquirerent. Exiſtunt verè & propriè in loco: ratio quâ Angelus redditur potens eſſe in loco corporeo, non eſt ipſius nuda ſubſtantia, ſed operatio, ſeu quantitas virtutis Angelicæ. Mouenrur localiter ſecundùm realem præſentiam ſuæ Subſtantiæ, & non tantùm ſecundùm operationem aut effectum. Poſſe Angelum tranſire de vno extremo ad aliud ſine ttanſitu per loca media, cum communi defendimus.

Deciditur 3tio.

De Peccabilitate Angelorum.

LIcet in Angelis malis poſſint eſſe, & ſint omnia peccata quo ad reatum, quatenus homines ad omnia peccata inducunt, tamen ſecundùm affectum tantùm poſſe eſſe in illis peccata ſuperbiæ & inuidiæ, quæ ſunt propria naturæ ſpiritualis, vt docet S. Doctor Noſter *lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 6.* Primum ergo peccatum eorum fuiſſe ſuperbiam patet *ex Script.* In primo inſtanti ſuæ creationis, non potuerunt peccare contra præceptum aliquod ſupernaturale etiam de potentia abſoluta, cùm Deus circa peccatum non poteſt excedere limites permittentis. Incapaces fuerunt Pænitentiæ,

non

non quia denegata illis erant auxilia Diuina, ſed ideo denegata, quia inflexibilitas & obſtinatio, ab intrinſeca eorum manauit natura tanquam à radice. Puniuntur in inferno pænâ damni & ſensûs ab igne corporeo, non per apprehensionem, aut ſpecies intentionales dolorem afferentes, ſed per alligationem Phyſicam ad ipſum, producendo verum calorem: eſt doctrina S. Doctoris *lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 10. Miris veris tamen modis &c.*

Deciditur 4to.

De Illuminatione & Locutione Angelorum.

EX Sanctis Patribus & S. P. Auguſt. *in Pſal. 118. Con. 18.* liquet, Angelos inferiores illuminari à ſuperioribus: hæc illuminatio non fit per efficientiam alicuius intrinſeci in altero, luminis videlicet intellectualis; nec per productionem conceptûs formalis obiectiui in intellectu inferioris, ſed per ſolam locutionem, quâ vnus Angelus liberè ordinat ſuum conceptum ad alterum, ex intentione manifeſtandi ipſi aliquod obiectum: Locutio ſita eſt in recto & formaliter in ipſa intellectione ſeu in conceptu elicito intellectûs, connotando tamen volitionem liberam illum manifeſtandi alteri ad quem dirigitur.

DE BEATITVDINE SVPERNATVRALI.

Deciditur 1mo.

De Beatitudine quatenus eſt Finis Angeli & Hominis.

ANgelus & Homo creati ſunt in ordine ad Beatitudinem ſupernaturalem conſequendam, quam dari poſt

hanc vitam tanquam bonorum omnium finem & societatem gaudiorum, primum est rudimentum fidei, & totius honesti basis. Obiectiua Beatitudo in nulla re creata, sed in ipso Deo infinitè bono consistere valet: formalis verò exigit operationem seu actum secundum vitalem immanentem, ita: vt de potentia absoluta non possit consistere in ipsa visione aut amore Diuino nobis per modum actûs vitalis communicato, non enim potest Angelus videre aut amare Deum per operationem à solo Deo sibi infusam, & ab ipso non elicitam; immò per impossibile si intellectio à solo Deo produceretur, & intellectui Angelico vel humano infunderetur, non tamen redderet illum intelligentem aut videntem Deum.

Deciditur 2do.

De Constitutiuo Formalis Beatitudinis.

SVppositò quod Formalis Beatitudo, sit actus aliquis secundus creatus, & ab ipso Beato elicitus; dubitatur cuinam operationi conueniat propriè, vt hominem formaliter reddat Beatum. Nos solam visionem Beatificam pro formali constitutiuo formalis Beatitudinis cum S. P. N. August. *lib. 1. de Trinit. cap. 8. Quod dicit Deus &c.* & inferius *visio quâ contemplabimur &c.* & Soliloquior. cap. 36. *Hæc est plena Beatitudo & tota glorificatio hominis videre faciem Dei sui*: & infra; *Visio ergo tua tota merces, totum præmium &c.* statuimus; idq́, si sumatur Beatitudo pro origine & fonte primordiali, ex quo omnes actus beatificantes scaturiunt. Si verò sumatur pro complemento omnium bonorum quibus satiatur Beatus, à constitutiuo formali Beatitudinis, actum voluntatis non excludimus.

Deciditur

Deciditur 3tio.

De Proprietatibus Beatitudinis.

INamiſſibilitatem eſſe de eſſentia ſupernaturalis Beatitudinis, docet cum ſcript: S. Doctor Noſter lib 11. de Ciuit. Dei Cap. 32. *Angelos Sanctos in ſublimibus cæli ſedibus de ſua ſuperna & vera felicitate ſecuros & certos eſſe nemo ambigat*: Vtrum autem de eſſentia Beatitudinis ſit, eandem cognoſcere inamiſſibilitatem, negatiuè decidimus, ſi ſpectetur Beatitudo in actu primo prout dicit ſummam felicitatem ex ſe ſatiatiuam appetitûs, & expulſiuam omnis anxietatis; requiritur tamen eſſentialiter ad actu beandum & ſedandum appetitum, qui non ſatiatur niſi per bonum actu cognitum. Viſio Beatifica ex natura ſua & ab intrinſeco exigit incorruptibilitatem, haud ſecùs ac Angelus & anima rationalis, quamuis de potentia abſoluta deſtrui poſſit, ſicut & quælibet res creata. Angeli & Homines beati, vi Viſionis Beatificæ redduntur ab intrinſeco impeccabiles.

Deciditur 4to.

De dotibus Animæ & Corporis glorioſi.

TRes communiter SS. PP. & Theologi aſſignant animæ beatæ dotes correſpondentes donis, quibus in via principaliter ornatur quando deſponſatur de futuro; Viſionem claram Dei correſpondentem Fidei, Comprehenſionem Spei. Charitati Fruitionem, Corpus cùm fuerit inſtrumentum animæ ad merendum, & ad certamina vitæ huius ſuperanda, eſt etiam particeps præmij vitæ æternæ iuxta ſuam capacitatem; perfectiones itaq; ſupernaturales redundantes ex gloria animæ in corpus, à Theologis dotes corporis appellantur,

illud

illud disponentes ad vnionem indissolubilem cum anima, & vt illi subijciatur, sicut dotes animæ ipsam præparant ad vnionem matrimonialem cum Christo. Quatuor à Theologis ex S. P. August. *ep. 56. ad Dioscor.* enumerantur, Impossibilitas, Subtilitas, Claritas, & Agilitas.

DE HOMINE

Prout eleuatus est ad BEATITVDINEM per actus propriæ Conscientiæ.

Deciditur Imo.

De Quidditate Conscientiæ.

PRæter legem æternam quæ est regula actuum humanorum, datur alia lex scripta in cordibus nostris, quæ est participatio quædam ac impressio legis æternæ, quâ proximè regulantur actus humani, intùs suggerendo & indicando creaturæ rationali, quid prosequi quiduè fugere debeat, vt facilius consequatur æternam beatitudinem; & hæc vocantur Conscientia. Consistit in actu practico intellectûs quo iudicatur hîc & nunc pensatis omnibus circumstantijs, quid adigendum vel omittendum sit. In iudicio Conscientiæ ad eliciendum actum bonum, requiritur certitudo practica de honestate obiecti & actionis. Agere contra conscientiam dictantem, te hodie, v. g. teneri ad Sacrificium Missæ audiendum, non est speciale ex eo quod contra conscientiam agas, sed indistinctum ab eo, quod facis contra religionis virtutem in Missæ omissione.

Deci

Deciditur 2do.

De Conſcientia Erronea & Probabili.

NOn eſt licitum agere contra Conſcientiam erroneam inuincibilem non depoſitam, dictantem vt præceptum aliquid aut prohibitum, ſecùs verò ſi proponat aliquid, non vt præceptum, ſed per modum conſilij, cùm obligatio non oriatur ex conſilio ſed ex præcepto. Ex opinione improbabili putata illicitum eſt operari, aut de cuius probabilitate practicè quis dubitat. Ex duabus Sententijs æquè probabilibus & tutis, quælibet pro libitu eligi poteſt, etiamſi ſit aliena. Non licet ſequi in praxi opinionem minus probabilem, relictâ probabiliori & tutiori, tunc vel maximè, quando imminet periculum temporale, vel ſpirituale, boni proximi, vel proprij. Quia Sacramenta ex vi inſtitutionis petunt, vt non conficiantur cum periculo inualiditatis, Miniſter in adminiſtratione ipſorum, non poteſt vti ſententiâ minus probabili in praxi, relictâ probabiliori & tutiori: eſt declaratum per S. Pontificem Noſtrum INNOCENTIVM XI.

Deciditur 3tio.

De Conſcientia Iudicis in ferendis Sententijs, & Aduocati in Cauſis tuendis.

COntigit plerumq́, quòd cum certitudine iuris, maneat facti probabilitas inter litigantes: tunc iudex in varietate opinionum circa factum, tenetur ferre Sententiam iuxta maiorem & pleniorem probationem; quodſi probationes non fundent maiorem titulum pro vna parte quàm pro altera, ferenda eſt ſententia in fauorem poſſidentis; ſi neuter ſit poſſeſſor, & iura æquè vtriq; fauentia, tenetur iudex ex officio-

rem diuidere , ſi autem non ſit diuiſibilis, partibus per compenſationem ſatisfacere. Aduocatus ſecundùm Conſcientiam, non poteſt patrocinari cauſæ, quàm nouit eſſe iniuſtam, aliàs faciet iniuſtitiam alteri parti, quæ iuſtè rem poſſidet. Si litem fraude & aſtutiâ lucretur, tenetur ad reſtitutionem & ad refundendas expenſas. Ius cauſæ quod ſuſcipit, ſi minus ſit probabile, clientem hac in parte tenetur certiorem facere.

Deciditur 4to.

De Conſcientia Dubia & Scrupuloſa.

DVbium practicum ſi aliquis habeat circa militiam actionis, cum illo operari eſt illicitum ſecundùm Conſcientiam, licitum autem cum dubio ſpeculatiuo tantùm, modò ſit practicè certus de bonitate aut militia actionis. In Materia Iuſtitiæ, poſſeſſio ſufficiens eſt titulus ad deponendam Conſcientiam dubiam, & formandi Conſcientiam rectam, quâ iudicatur res de qua eſt dubium, licitè detenta à poſſeſſore bonæ fidei, non obſtante dubio ſpeculatiuo iuris. Peccata mortalia dubia, neceſſariò ſunt confitenda. Scrupuloſa Conſcientia, cùm ſit exiſtimatio quædam leuibus innixa fundamentis, nec importat formaliter & intrinſecè iudicium, ſed apprehenſionem ſolummodò de malitia actionis, cum timore illam committendi, contra ipſam operari eſt licitum. Scrupuloſi ad deponendas eiuſmodi Conſcientias, conſilium Confeſſarij, aut alterius viri docti ſequi debent non proprium.

DE HOMINE

Per Virtutes Morales & Habitus Supernaturales eleuato ad BEATITVDINEM æternam.

Deci-

Deciditur 1mo.

De Essentia & Subiecto Virtutis.

VIrtutes & habitus sunt vera passionum remedia in homine, ad obtinendam facilius Beatitudinem. Quælibet virtus humana essentialiter est habitus, & hic habitus temperantiæ, v. g. est essentialiter virtus determinata ad solos actus honestos, est S. P. N. August. lib. 1. de Morib. Eccl. cap. 6. vbi ait, *Virtutem nihil aliud essentialiter esse, nisi habitum & quasi Sapientis animæ qualitatem.* Ex quo sequitur rationem eius formalem, non consistere in relatione prædicamentali, sed in ratione qualitatis. Ita est determinata virtus ad actus honestos, vt non possit influere in malos, ratio enim virtutis seu esse productiuum actûs boni, est differentia intrinseca & essentialis habitûs, qui est virtus: nec possumus vti virtutibus moralibus per se infusis aut acquisitis, ad eliciendum actum malum, etiam ex fine & circumstantijs. Non tantùm in voluntate hominis, sed etiam Angeli admittendæ sunt virtutes morales per se infusæ, concernentes Beatitudinem supernaturalem, sicut & virtutes naturales concernunt beatitudinem completam naturalem, ad rectè operandũ necessariæ.

Deciditur 2do.

De Diuisione Virtutum Moralium.

QVatuor communiter numerantur Virtutes Morales Cardinales, secundùm quatuor hominis potentias, videlicet intellectum, cui correspondet Prudentia; voluntatem, cui Iustitia, Appetitum concupiscibilem, cui Temperantia, & irascibilem, in quo Fortitudo collocatur. Prudentia versatur circa eligibilia, discutiendo ea quæ per errorem aut in consídera-

ſiderationem fallere poſſunt. Iuſtitia ſeruat æqualitatem in operationibus erga alterum. Temperantia reprimit paſſiones partis concupiſcibilis, quæ fortiter irritant & alliciunt, ne aliquid rationi contrarium moliantur. Fortitudo moderatur paſſiones partis irraſcibilis circa ardua pericula, ne retrahant timore ab eo, quod ratio dictat. Præter virtutes morales naturales acquiſitas, dantur aliæ morales per ſe infuſæ in iuſtificatis, reſpicientes eandem materiam cum acquiſitis, ex motiuo tamen ſupernaturali: deducitur ex: SS. PP. præcipue ex S. P. Auguſt. tract. 8. in 1. Epiſt. Ioan *Quomodo Imperator &c.* Et ex Concil: Vienn̄. vt refertur in Clemen. de Summa Trinit. & Fide Cathol: à quo deciditur; non ſolùm Virtutes Theologicas infundi, ſed etiam morales.

Deciditur 3tio.

De Virtutibus Moralibus in Particulari.

IVſtitia eſt præclariſſima Virtutum purè Moralium, eò quòd verſetur circa operationes, quibus homo ordinatur non ſolùm in ſe ipſo, ſed etiam ad alterum. Nouem aſſignantur eius potentiales partes, Religio, Pænitentia, Pietas, Obſeruantia, Gratitudo, Veritas, Vindicatio, Liberalitas, & Amicitia. Hæ conueniunt cum Iuſtitia in hoc, quod ordinentur ad alterū, & ſoluunt aliquomodo alteri debitum: differunt in eo, quod nō cadant ſub rigoroſum debitū, ſed morale tantùm, ad quod ex ſola honeſtate virtutis tenemur. Fortitudinis duo numerantur actus: ſuſtinere, & aggredi: ad primum requiritur Magnanimitas, & Magnificentia: ad ſecundū Patientia & Perſeuerantia. Temperantia quæ concupiſcentias carnis, ad debitam reducit temperiem, duas integrales exigit partes;

verecun-

verecundiam, & Honestatem; Quatuor Subiectiuas, Abstinentiam, Sobrietatem, Pudicitiam, & Castitatem. Castitas distinguitur à Virginitate, eò: quod per illam homo ab illicitis tantùm abstineat, virginitas verò ab omnibus licitis, & illicitis delectationibus cohibeat.

Deciditur 4to.

De Habitibus Supernaturalibus.

HAbitus Supernaturales per se infusi, sunt proprietates gratiæ Sanctificantis, & quasi potentiæ ipsi collatæ ad operandum, & sicut hæc à solo Deo, vt à causa principali produci potest, ita supernaturales habitus, à solo Deo infundi valent, & ita quidem, vt nullatenus actibus supernaturalibus produci possint. Experientiâ compertum est, hominem iustum exercitio actuum virtutum supernaturalium acquirere maiorem facilitatem eliciendi similes actus, quàm ab initio non sensit: hæc tamen facilitas non prouenit ab habitibus per se infusis, à quibus actus illi eliciuntur, quia ab initio non obstantibus habitibus infusis, habuit homo difficultatem, in illis actibus eliciendis; abscribenda ergo est alicui habitui acquisito vel supernaturali, vel naturali: quamuis etiam probabiliter dici possit, illam prouenire ab habitibus per se infusis, qui exercitio actuum supernaturalium, continuò magis ac magis augentur meritoriè, ratione cuius augmenti, maiorem homo facilitatem sentit, in eliciendis actibus supernaturalibus.

DE HOMINE

Per Virtutes THEOLOGICAS eleuato ad Beatitudinem obtinendam.

Deciditur 1mo.

De Obiecto Motiuo & vltimo resolutorio Fidei Diuinæ.

TRibus in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt, in Fide, Spe & Charitate. Fides primum est vitæ Spiritualis fundamentum; Definitur ab Apost: Quod sit sperandarum substantia rerum argumentum non apparentiū. Obiectum eius formale *quod* est Deus ipse, subratione veritatis in essendo, Ratio verò formalis motiua *subqua* est veritas in dicendo, vt connotans veritatem primam in cognoscendo. Reuelatio actualis Dei, ingreditur rationem obiecti formalis motiui fidei inadæquatè. Si Deus alicui personæ priuatæ reuelaret, quod commune bonum concerneret, & ad Deum vt authorem supernaturalē reduceretur, talis reuelatio pertineret ad Fidem, vt est Virtus Theologica, non verò vt est Catholica. Ecclesiæ authoritas, non ingreditur etiam partialiter rationem motiuam Fidei, cuius assensus vltimò resoluitur in primam veritatem reuelantem, tanquam in rationem motiuam credendi, & in Ecclesiæ authoritatem tantùm, vt in regulam applicantem. Non potest subesse falsum obiecto Fidei, etiam ex parte credentis.

Deciditur 2do.

De Actu Interno & Externo Fidei.

QVia accedentem ad Deum oportet credere; actus Fidei supernaturalis est necessarius simpliciter ad consequendam salutem: est S. August. ser. 38. de Temp. *Sine Fide nemo ad consortium filiorum Dei potest peruenire, quia &c.* Vtrum autem de potentia absoluta possit homo iustificari & saluari à Deo, absq; omni actu Fidei Theologicæ: affirmatiuè decidimus

dimus; ſicut poteſt deſtrui peccatum de potentia Dei abſoluta, abſq; omni actu, aut diſpoſitione peccatoris. Fides explicita exiſtentiæ Dei & Remuneratoris in omni ſtatu fuit ſimpliciter neceſſaria ad iuſtificationem & ſalutem: deducitur ex Apoſt Hebr. 11. *Credere enim oportet &c. quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Poſt promulgationem legis Euangelicæ, Myſteriũ Trinitatis & Incarnationis explicitè credi debet, idq; neceſſariò neceſſitate medij: conſtat ex S. P. lib. de Corre. & Grat. cap. 7. *Ab hac damnatione ſe non liberabunt, qui poterunt dicere ſe non audiſſe Euangelium Chriſti &c.* In nullo caſu licitum eſt negare Fidem Chriſti externè, immò nec ſimulare falſam religionẽ, fides namq; exigit à nobis officiũ cordis & linguæ; iuxta Aug: *lib. de Fide & Symb. cap. 5.*

Deciditur 3tio.

De Spe Theologica.

DEſiderium efficax boni ardui & futuri conſequendi, Spes Theologica appellatur; ſi ſit informis, habet quidem rationem Virtutis, non tamen ſtatum perfectæ Virtutis. Obiectum eius formale *quod* primarium eſt Beatitudo æterna ſeu Deus ipſe, non excluditur tamen à ratione motiui partialis Viſio beatifica. Bona creata quæ conducunt ad Beatitudinem, & ſperantur à Deo, ſunt obiecta materialia & ſecundaria Spei. Omnipotentia Dei vt auxilians, eſt ratio formalis ſub qua ſperatur Summum bonũ, non verò ipſa bonitas, aut arduitas obiecti ſperati. Nemo poteſt ſperare alteri beatitudinem, vt alterius eſt; docet S. P. Auguſt. in Ench. cap. 8. vbi differentiam aſſignat inter Fidem & Spem. *Fides* (inquit) *eſt ſuarum rerum & alienarum &c. Spes nonniſi bona-*

rum

rum &c. & ad eum pertinentium, qui earum Spem gerere perhibetur. Desperatio opponitur Spei per defectum. Consistit formaliter in actu positiuo fugæ, quo voluntas recedit à Beatitudine consequenda, propter difficultates apprehensas; si sumatur desperatio pro iudicio, quo quis tantùm iudicat se nõ saluandũ, est licita: Si verò importet actum positiuum, quo receditur à beatitudine assequenda, reducendo illius non consecutionem in defectum Diuinæ Misericordiæ, est illicita etiam suppositâ reuelatione de damnatione.

Deciditur 4to.

De Charitate Theologica.

TOtum Spirituale ædificiũ hominis Christiani, quod fundat Fides, erigit Spes, tandem perficit Charitas, quâ cum Deo perfectè vnimur, quæq; est omnium Virtutum excellentissima. Sumitur pro habitu supernaturali per se infuso, eleuante voluntatem ad Deum diligendum propter se: Bonum supernaturale infinitum in omni genere vt est in se amabile, respicit pro obiecto formali primario; proximum pro secundario. Dicitur virtutum omnium forma ex eo; quod actus earũ eliciantur à voluntate ex imperio, & ordinatione illius in finẽ vltimũ. Augetur intensiuè per actus nostros supernaturales, tam intensiores habitu, quàm æquales, atq, remissos, vt docet Triden. Sess. 6. c. 1. idq; nõ physicè & efficienter, qualiter nostris actibus nec producitur, sed moraliter & meritoriè. In explicando autem tempore, quo nam hoc augmentũ actibus remissis debitũ conferatur: decidimus cũ communi, tribui tunc: quando illos elicit homo viator, Deus enim non tardat promissionem suam.

Cui Honor & Gloria In Sæcula.